

TYPO  
ICONOGRAPHIAE AESTHETICAE  
PRAEMUNITO  
\*\*\*\*\*  
GRAVISSIMOS  
ANNAEI CURATORES  
MAGNIFICVM EPHORVM  
CVM AMPLISSIMO  
VRBIS PRINCIPALIS SENATV  
OMNESQVE BENEVOLOS ARTIVM  
HUMANITATIS FAVTORES  
AD  
ORATIONEM  
SOLEMNEM  
QVA  
MODERATIONEM SCHOLAE ANNAEAE  
AD DRESDAM  
A. D. VIII. IDVVM DECEMBER. ANNI MDCCLXIII.  
AB HORA II. MERIDIANA  
SVSCIPIET  
OBSERVANTISSIME INVITAT  
M. CHRISTOPHORVS IOANNES GODOFREDVS  
HAYMANNVS.

---

MISNAE  
LITERIS SCHVLZIANIS.

Aesthet.

56, 4.

59, 4.

*Handwritten signature*

HORATIVS  
ARTE POETICA.

---

PERSONA, SERVETVR, AD, IMVM.

QUALIS, AB, INCEPTO, PROCESSERIT, ET, SIBI, CONSTET.

u. 126, sq. Conf. infra §. III.

DESCRIPTAS, SERVARE, VICES, OPERVMQVE, COLORES.

CVR, EGO, SI, NEQVEO, IGNOROQVE, POETA, SALVTOR,

u. 86, sq. Cf. § III.

RESPICERE, EXEMPLAR, VITAE, MORVMQVE, IVBEBO.

DOCTVM, IMITATOREM, ET, VERAS, HINC, DVCERE, VOCES,

u. 317, sq. Cf. §. X.

DECIPIMVR, SPECIE, RECTI, BREVIS, ESSE, LABORO,

OBSCVRVS, FIO, SECTANTEM, LENIA, NERVI,

DEFICIVNT, ANIMIQVE, PROFESSVS, GRANDIA, TVRGET.

SERPIT, HVMI, TVTVS, NIMIVM, TIMIDVSQVE, PROCELLAE.

QVI, VARIARE, CVPIT, REM, PRODIGIALITER, VNAM,

DELPHINVM, SILVIS, APPINGIT, FLVCTIBVS, APRVM,

IN, VITIVM, DVCIT, CVLPAE, FVGA, SI, CARET, ARTE.

u. 25-31. Cf. §. XIII.





TYPVS  
ICONOGRAPHIAE ÆSTHETICAE.

§ I.

**N**escio, an insignior suauitatis fons monimenta omnis aetatis ac generis recreet, quam insperfae uirtutum uitiorumque et morum hominum pariter ac factorum, uariarumque rerum, quas natura profert, imagines. Iure enim meritoque requirimus idem in omni oratione, quod HORATIVS in Arte sua poscit a poetis, praeci-  
piens u. 99.

Vis ico-  
num ora-  
tionis.

Non satis est, pulcra esse poemata, dulcia sunto.  
Subiicit rationem u. 333. sq. talem, quae cadit etiam in ceteros scriptores:

Aut prodesse uolunt, aut delectare poetae,  
Aut simul et iucunda et idonea dicere uitae.

Speñtat enim hunc finem duplicem uniuersa auctorum familia.  
Atque illud egregie, quippe ex u. 343. sq.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,  
Lectorem delectando, pariterque monendo.

Scilicet mentem atque animum afficit scriptor hac utraque orationis idoneae dore copulata. *Ille* quidem acuitur, cum discit *utilia*, pulcrumque sectatur, quod existit artis legibus legitime seruatis; *Hunc* uero delectat *dulce*, rapiens non gustum modo suauitatis, uerum etiam commouens lectorum sensus auditorumque. (\*) Hac arte hodieque et placent et iuuant praeter Graecos CICERO, LIVIVS, CAESAR, NEPOS, CVRTIVS, PLINIVS, alii, omnesque poetarum coryphaei, quorum oratio sine his lecythis esset ieiuna, certe fastidiosa, pariter ac sunt tot reiecta recentiorum

A

uolu-

(\*) Gallorum discrimen hic recte adhibuit *Gesnerus* acerba morte sua maior, ad u. 99. ita commentatus: La Beauté est pour l'Esprit, la Douceur est pour le Coeur.

uolumina. Quo uero dulciores sales adspargunt sermoni morum ac factorum tabulae, hoc magis capit me admiratio, tres modo aut ad summum quatuor eloquentiae interpretes operibus suis alioquin amplissimis, immo uastissimis, hoc caput de concinnandis rerum notationibus intexuisse. (\*) Hisce ducibus, licet paucis, tamen quam commodissimis, ideam iconum orationis ita ponam, ut earum eluceat suauitas ac dulcedo, quae fluunt ex quam accuratissimo momentorum concentu, ac repraesentationum pulchritudine simplicissima, quae imagines haec egregie commendant.

## §. II.

Natura ac  
genera  
iconum  
orationis.

Dicuntur icones, si uerum uocis Graecae sensum cum QUINTILIANO spectas, (\*\*) rerum ac personarum, morum ac factorum repraesentationes. Conuenit haec Graecorum uox uernaculis: Gemälde, Bilder, Schilderungen, quibus uocabulis usus est LINDNERVS libro laudato. Quum uero et rerum et personarum exemplaria possint exprimi, duo dantur hoc auctore iconum genera. Alterum, quod res et facta describit, dicimus *descriptiones*; alterum, quod notat mores hominum, uocant *characteres*. Differt enim utrumque genus ratione materiae, quae ipsis subiacet. Versantur scilicet *characteres* solum in designationibus, s. ut loquuntur, notationibus (\*\*\*) uirtutum uitiorumque et omnis hominum indolis. Quales debemus VELLEIO, TACITO, SVETONIO, PLINIO, ac potissimum THEOPHRASTO ERESIO, eiusque imitatore Gallo, BRUYERIO,

(\*) Desiderat idem M. Io. Gottb. Lindnerus in egregia sua, palmamque facile reliquis rhetorum libellis praecipiente Oratoria, qui fere unus est, qui integro capite absoluit hanc materiam a §. 129. sq. pag. 172. sq.

(\*\*) L. V. Instit. Orat. c. XI. Stricte quidem sumtae icones rhetoribus sunt figurarum species elegans, qua assimilatio formae cum forma instituitur. Ita definit Rutilianus in libro de figuris I. §. 24. annexo Gesneri primis lineis artis Oratoriae p. 150. qui eodem fere modo p. 24. hoc schema describit. Exempla tradit praeter alios Heineccius fund. stili P. I. c. 2. §. 32. p. 117. edit. Gesneri.

(\*\*\*) Haec uox quidem frequentius in deteriorem partem legitur, apud Criticos potissimum. Atque ipse Theophrastus, cuius characteres dicuntur notationes morum, omnino mores prauos uel cum irrisione animaduertit. Attamen ex uera uocabuli ui omnem notat rei cuiusque designationem, siue laudi ducitur, siue uituperationi. Quam uocem et hic potes substituere, si cum Scaligero L. III. c. 33. Artis Poet. credis, per abusionem dici characteres notationes.

ERIO, ne quid de reliqua inimorum nouissimorum turba inter Gallos, Anglos ac subinde etiam Germanos commemorem. *Descriptiones* uero latius patent et plura tractant. Pingunt enim et *facta*, potissimum proelia, in quibus exprimendis excellent LIVIUS ac POLYBIUS; et *loca*, ueluti prata, fluuios, urbes, aliasque res, quas natura repraesentat, quarum descriptiones praecipue admiramur in CURTIO. Pertinent huc etiam *diatypoſes* et *hypotyposes*, atque ipsae *comparationes* oratorum, h. e. rerum imagines uel pleniores et copiosiores, uel breuiiores, simplicioresque. (\*) Ratione enim notarum, quae afferuntur, icones itidem esse possunt uel uberiores, exquisitioresque, uel concisiores et imperfectiores, prouti plures paucioresue notae adhibentur.

## §. III.

Si utriusque generis iconismorum compositionem accuratius consideramus, deprehendimus in ipsis mirabilem omnium momentorum conspirationem cum re palmaria. Inde colligimus merito, seruandam esse eandem legem ab omni scriptore, quam FLACCUS commendat aequalibus suis, eadem commercia cum Musis habentibus, u. 86.

Harmo-  
nia  
iconum,

Descriptas seruare uices, operumque colores, h. e. munera respicere praescripta ac leges, quibus poemata ac scripta semper manent simplicia, suaque gaudent praecipua uirtute. Consistit enim omnis simplicitas in consensu uarietatis in opere perfecto, ita, ut se referant omnia ad ipsius argumentum ultimum. Hoc enim idem requirit HORATIUS u. 23.

Denique sit quoduis simplex duntaxat et unum.

Hoc uero haud aliter existit, ac si sequuntur scriptores ipsius postulatum, u. 126. sq. ex quo persona

Seruetur ad imum,

Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.

Dicitur ea conspiratio *harmonia*, uoce petita ex artibus oratoriae uicinis, musica, architectura, pictura. Huc enim Poeta noster respicit, qui requirit ab omnibus, *seruare operum colores* u. 86. h. e. ut QUINCTILIANUS (\*\*) explicat, concordiam luminis

A 2

um-

(\*) Cape ex Scaligeri Arte Poet. L. cit. integro capite discrimen et exempla utrorumque schematum.

(\*\*) L. XII. Instit. Orat. c. 10. Inter *architecturae* tres partes habetur harmonia cum

umbraeque, quin etiam colorum ipsorum cum natura formarum, quas exprimunt. Quemadmodum itaque in quavis arte perfectum quiddam fit, cum omnia coeunt, ita idem existit in omni factorum morumque repraesentatione. Quodsi LIVIVM legimus in descriptione bellorum Punicorum, Hannibalem quasi conspiciamus uersantem in proeliis Cannensi, Trebienti, aliis. Si VIRGILIVM canere audimus certamina Turni et Aeneae, haerere uideatur Aeneas in mediis aciebus, Turnumque semper prouocare. (\*) Si HOMERVS decennem Troiae oppugnationem effingit, omnes Graecorum heroes ad ipsius interitum, grauissimas inter hostium resistentium acerbitates perficiendum, conspirant. Nec deficit iste consensus in characteribus morum apud THEOPHRASTVM, reliquos. Quare maximopere notandi sunt, qui migrant hanc legem, hocque iustius, quo clarius apparet discrepantia. Ita peccauit OVIDIVS in fine descriptionis diluuii Deucalionis, notatus ideo a SENECA exque eo a BYCHNERO. (\*\*). Contra uero HOMERVS laudatur ob exemplum parturientis feminae tam dilucidum, ut PLVTARCHO (\*\*\*) uideatur non Homerus, sed Homera auctor fuisse.

## §. IV.

cum eumetria et symmetria. A musicis uero concordia quasi discors numerorum et modorum magnopere est seruanda. Licet enim male credant homines minus delicati, atque hebetioris sensus, musicam nullam sequi uocis, fidium ac motuum regulam; Eulerus tamen praeter ceteros, in noua Theoria musicis, illud subtilissime posuit extra omnem dubitationem. Atque etiam iam Cicero L. I. Tusc. Qu. c. 18. „Harmoniam, inquit, ex interuallis sonorum, nosse possumus, quorum uaria compositio etiam harmonias efficit plures.“ Nec, qui saltat, caret harmonia, nisi rusticorum ritu motus det incompositos. Namque et ducit rite chorum, et bracchia dat non extra numeros, terramque pulsat pedibus terno motu, ac se mouet ad sonos neruorum ac tiliarum quam modulatissimos. Denique haud incommode Keplerus harmonicam mundi dixit rerum omnium in mundo consensum musicae instaramoenissimae. Qualis ille Pythagoricus orbium concentus est, in quo Scipio in Somnio a Cicerone enarrato, cap. V. stupet. Inde uox harmoniae haud male transfertur ad oratorum artes.

- (\*) Ex quo Scaliger laudandus, qui Artem suam Poeticam, tersissime scriptam, artis Virgilianae distinxit exemplis, optime enucleatis, ita, ut dignus uideatur adhiberi in idonea Poetae interpretatione, commendabilique editione studiosae iuuentuti omnibusque huius artificii amicis communicari.
- (\*\*) L. III. Quaest. Nat. c. 27. Buchnerus uero commentario de Commut. Rat. Dic. L. II. c. 3. §. 2. p. 401. sq. tam idoneo, ut uersari frequentissime ab huius artis interpretibus, atque iuuenibus offerri commoda editione mereatur.
- (\*\*\*) in libro περί Φιλοσοφίας. Icon Homeri laudata extat L. XI. Iliadis.

## §. IV.

Principio itaque seruanda est in descriptionibus haec ars, ut momenta rerum describendarum quam accuratissime sibi respondentia fingas, aut, si uera sunt, exprimas ita, ut rei, quam notas, dulce ac suaue facile lector intelligat. Quam subtiliter ad hoc attenderint scriptores, uno atque altero exemplo uidere licet. In certamine Romanorum cum Albanis, ut a descriptione proeliorum rerumque gestarum ordiar, hos LIVIUS quam perfidissimos omnes per inimicitias notat, quas in Romanos produnt: Romanum contra regem et populum, licet bellatores, tamen iustissimos in omni cum Albae incolis pugna repraesentat. Hos seruat characteres per integram eamque uberrimam narrationem L. I. a cap. 22. sqq. Cuius artem, si cancelli huius libelli finerent, facili opera possem explicare, pariter ac eam laudare, quam adhibent LIVIUS et POLYBIUS in tot praeliorum descriptionibus aliarumque rerum gestarum, et factorum heroicorum. Atque etiam Patauinus non in uniuersa modo rerum compage spectat harmoniam tam gratam, uerum in singulis historiae suae breuioribus particulis. Talis est in ipsa laudata modo descriptione intexta imago deplorandae Albae, cuius consternationem per omnes depingit suae disturbance rationes. cap. 29. L. I. Eiusmodi sunt quoque exempla instructarum acierum, oppugnationum, expugnationumque castrorum, urbiumue, adde imagines clasium, pugnarum naualium, itinerum atque expeditionum, seditionum et tumultuum. (\*) Etiam poetae hanc artem secuti sunt. OVIDIUS, Epistola I. Heroidum tota, ita fingit Penelopen de Ulyxe suo, ruente in Troianos, sollicitam, ut mariti herois certamina, periculorumque, quae ipsa sibi animo fingeret, minas exprimat. Similes imagines impressit et ceteris Heroidum epistolis, et Tristium libris, literisque ex Ponto datis, quas breuitatis ergo cum reliquorum ueterum poetarum iconibus non attingo. Nec defuere recentiores, qui hanc uiam triuerint. BOILAVIUS tam egregie ueterum stetit uestigiis in exprimenda Namurci oppugnatione, ut

Descripti-  
ones  
factorum  
harmoni-  
cae.

A 3

duum-

(\*) Exempla ea omnia indice locuplete collegit editor *Liuii* Patauinus. Cuius commoda, modo non admodum mendis libera editio Patauii MDCCXXVII. in forma 12. maiori Vol. IV. prodiit ex Typographia Seminarii. Desidero eam in *Niceronii* *Memoriis* *Eruditorum* T. V. p. 156. sq. ed. Gall. et p. 261. sq. ed.

duumviri Galli dignum existimarint hoc carmen latinis numeris concinnare, ROLLINVS puta et LENGLETIVS.

## §. V.

Harmo-  
nicæ  
locorum  
rerumque  
physica-  
rum  
descripti-  
ones.

Sufficiat, hæc attulisse exempla descriptionum praeliorum, bellicorumque factorum. Haud minoribus splendent ueneribus locorum imagines, quas historiarum conditores proponunt. Ne quid dicam de Liuianis uariarum urbium iconibus, in supra laudato indice facile reperiundis, placent potissimum in CVRTIO urbis Babylonis effigies, inque PLINIO patriæ suæ, quibus nescio an floridiores extent. (\*) Quam accurate conueniant eæ situi locorum, subinde in numis docent ipsorum formæ apud BEGERVM, PATINVM, SPANHEMIVM, CELLARIVM, aliosque numorum collectores (\*\*). Nec hic defunt poetarum exempla. Breue exhibet VIRGILIUS rustica illa loci designatione, naturæ conuenientissima, Ecl. IX, 7-9.

Qua se subducere colles

Incipiunt, mollique iugum demittere cliuo,

Usque ad aquam, et ueteris iam fracta cacumina fagi.

Mirifice uero delectant colores, quibuscum MARTIALIS distinxit uillæ Faustiniæ descriptionem. (\*\*\*) Pingit illam *sitam rure uero barbaroque* h. e. naturali, nec arte decorato, u. 1-5. Canit illius

ed. Germ. licet a p. 279. sq. edit. Germ. præcipuæ laudentur editiones. Titulus nostræ ita est compositus: „T. Liuii Patauini historiae Romanæ libri, qui supersunt, duplici diuisione in capita distincti, periochis insuper, uariis lectionibus, chronologia, et rhetoricis exercitationibus illustrati. Adiecti sunt non indices modo in singulas Decadas, uerum etiam argumentorum, affectuum, morum, ac descriptionum. *Caesaris* itidem laudat et explicat descriptiones eiusmodi *Bergerus* immortalis, in commentario suo de nat. pulcrit. orationis, *Caesaris* illustrata exemplis p. 203. sq.

(\*) *Curt.* L. V. cap. IV. *Plin.* L. I. ep. 3. it. alia laudat loca, L. II. ep. 17. et L. V. ep. 6. L. III. ep. 20. Imitatus est illam descriptionem Plinianæ patriæ *Heineccius*, depingens Lipsiam, in fund. stili P. III. c. 2. §. 8. p. 369. sq. Strictius *Horatius* L. I. od. 7. multarum urbium uirtutem præcipuam epithetis celebrat.

(\*\*) Referunt urbium imagines, quas *Liuius*, *Curtius*, alique historici describunt, *Patinus* in numis coloniarum, *Spanhemius* in disp. de usu et præst. numism. *Cellarius*que in orbe antiquo. *Flori* potissimum illustrat intagines *Begerus* numis in Comment. ad priores *Flori* libros passim allatis.

(\*\*\*) L. III. epigr. 58. Vernacule eam reddidit *Lindnerus* l. c. §. 132. p. 176. sq. Parum ab hoc abluunt *Horatii* uitæ rusticæ laudes Epod. II.



illius *opulentiam* tantam, ut messe quam fertilissima, uinisque optimaе notae abundet u. 6-9. Init *gregum* frequentissimorum atque opimorum numerum, qui oculis auribusque recreationem ibi praebent insignem u. 10-21. Refert tandem *occupationum* integritatem, u. 22-32. *ruris munera*, u. 33-40. et *uoluptates* urbanis simpliciores, ad fin.

## §. VI.

Atque in ipso sacro codice Spiritus sanctus hac arte usus est oratoris, hominum animos ut grauius afficeret. Extant huius artificii exempla insignia potissimum in IOBI historia et Psalmis DAVIDIS, ubi opera creationis uberrime et splendide designantur. Quorum enim summam Dauides Psalmo CIV. attentis ad DEI munera lectoribus breuius modo significat, (\*) expressius Iobo ipse DEVS, a capite XXXVII. ad finem fere libri, proponit per singula omnium sex dierum opera. Hoc summi Numinis exemplum imitatione quidem maius, attamen profecto dignissimum, uellem, oratores sacri ita respicerent, (\*\*\*) ut auditoribus suis subinde munifici IEHOVAE beneficia, quae natura undique habet, maxima diligentia ante oculos ponerent, eosque hoc suo exemplo ad diligentissimam operum DEI praepotentissimi considerationem excitarent.

Concinnitas  
biblicarum  
descriptionum.

## §. VII.

Transeo a descriptionum harmonia ad conspirationem characterum, qui maxime debent sibi conuenire. Confluunt enim hic uaria momenta, (\*\*\*) quorum uno discrepante, tota perit gratia

Characterum  
harmonia,

(\*) Icones, quas Hieropsaltes adhibet, explicuit *Ramlerus* V. Cl. in *Battesii* Praeceptis poetices amplificatis. Plures sacrorum scriptorum descriptiones intexuit *Heruaeus* egregiis suis meditationibus theologicis de naturae operibus.

(\*\*) Suadet idem *Ehrenfr. Traug. Demuth* in schediasmate uernaculo: *Der große Nutzen der Naturlehre*, ubi exempla laudat uariorum praekonum sacrorum, utilitatesque huius ad res creatas attentionis praedicat.

(\*\*\*) Quatenam ea sint, et quatenam sibi modo possint respondere, praeter ceteros rhetores exposuit S. V. *Ernesti* in *Rhet. P. I. sect. I. cap. IX.* et *Scaliger* in laudata *Arte Poet. Libro III. toto*, qui ideo *Idea* inscribitur. Inprimis cap. XII. *Aeneae* mores depingit, in reliquis uero personarum aliarum, ab *Virgilio* decantatarum. Nec *Tacitus* sua laude defraudandus, qui *Agricolae* uitam bene descripsit. Omnium egregia exempla sunt *Catilinae* et *Verris* repraesentationes in orationibus a *Cicerone* in eos habitis.

tia et flos. (\*) Comprobant hoc tot exemplaria illustria in omnium aetatum scriptoribus characteristicis, quorum copiam nobis praebuit LINDNERVS. (\*\*). Omnium suauissimas suppeditant imagines morum, principes auctores antiquissimae memoriae, quos isti secuti sunt recentiores, quique adhucdum placent et iuuant. In LIVIO splendent Hannibalis et Catonis Censorii imagines, (\*\*\*) laudesque regum et ducum plurimorum. Excellentissima VIRGILII credo est notatio Orphei, mariti solliciti de coniuge amissa, curarumque, quibus studet ipsam recipere. Nec ueneribus carent Aristaei, Didonisque desperabundae imagines. Conuenit his ars a XENOPHONTE adhibita in exprimendo Herculis in biuio constituti animo fluctuante, (\*) qualem in Scipione, huius instar, fingit SILIUS, poeta. Ex *Scriptura sacra*, quae in his regnat, si desideras exempla, cape tibi ex IESAIAE cap. III. luxuriae speciem, ex MATTHAEI XXIII. cap. simulationis Pharisaeicam personam, exque LUCAE XVI. cap. heluonis tristem uitae cursum. *Patrum* denique Ecclesiasticorum, potissimum CHRYSOSTOMI, laudat exempla GIBBERTVS in *Oratoria sacra* cap. IX.

## §. VIII.

Characte- res gentium accurati. Adiici meretur praecipuum characterum genus, quos de uniuerfis gentibus ponunt scriptores. Inter eiusmodi *historicas* iconographias splendet uberrima illa TACITI de Germanorum moribus expositio, quacum CAESARIS conspirat succinctior. Hic idem egregie Britannorum, ac Gallorum ingenia atque instituta designauit. (\*\*). Ex *oratorum* familia CICERONEM laudo, qui to- ta

(\*) Quod Bergerus in libro laudato p. 205. sq. & 104. sqq. ac Buchnerus l. c. recte obseruarunt.

(\*\*) L. c. Quibus adde sis nouissimum illud: *Schilderungen der gegenwärtigen Zeit von einem bekannten Schriftsteller. Aus dem Französischen übersezt. Erf. und Leipz. 1761.* atque imprimis hunc iuuenibus maxime frugiferum librum: *Millers Historisch Moralische Schilderungen.*

(\*\*\*) L. XXI. c. 4. et Libro XXXIX. c. 40. Plura loca uidesis in indice editoris Patuini.

(\*) L. II. Mem. Socr. cap. I. Illustrauit hoc exemplum Bergerus in Hercule Prodicio. *Silii* imitationem lege Libro XV.

(\*\*) *Caesar* indolem describit Britannorum L. V. b. G. c. 12. sq. Germanorum L. I. c. 39. et expressius L. VI. a cap. 21. Gallorum denique l. c. a cap. 11. Has relationes confirmant publica monimenta de statu horum populorum atque

ta fere oratione pro Flacco habita (\*) plurimarum Asiae Graeciaeque ciuitatum, ipsiusque Iudaeae consuetudines in medium adfert, quas easdem tradit LIVIVS, atque diuino spiritu adflati prophetae in uaticiniis suis frequentissime canunt. Sin *poëtarum* quaeris nitorem, pete ex tot OVIDII querimoniis, quas de Getarum, Thracum, Sarmatarum inconditis et asperrimis moribus per omnes fere Tristium libros, Ponticasque epistolas ultro citroque iactat. Ex *recentioribus* scriptoribus instar omnium est BARCLAIVS in icone animorum, quo duce WALCHIVS in Lexico philosophico (\*\*\*) notissimorum populorum mores expressit. Scriptores reliquos huius argumenti communicat idem, (\*\*\*) quibus adde nouissimum illud scriptum: *Das Eigene der Völkerschafften*, Altenburgi editum 1754. Quanta uero uel inclinationes uoluntatum influant in hominum singulorum (†) gentiumque totarum uiuendi rationem, ZIMMERMANNVS in libro, qui inscribitur *der Nationalstolz*, probe exposuit.

## §. IX.

Cum harmonia, prima dote iconum, de qua haecenus satis dicta sunt, copulanda est iure suo altera dos ipsarum, pulcritudo, sine qua omnis imago, licet maxime sibi congruat, frigida erit et inanis. *Pulcri* discrimen egregie constituit SCALIGER in *Arte sua poetica* L. IV. Parasceue dicto, cap. I. reliquisque, p. 444. sq. requirens in omni historia pulcritudinem naturalem, in oratione uenustatem quandam, simplicitate historica conspicuiorem, in poetis denique nitorem maxime insignem. Ab omni uero scribendi genere abesse censet probe fucum illum inconditum, qui in nullo placet scriptore.

Genera  
pulcritu-  
dinis  
in  
iconibus  
adhiben-  
dae.

B

rum

que itineraria. Postremam illustrat nominatim *Iodocus Sincerus*, s. quo uero nomine ab auctore de l'histoire d'un uoyage literaire p. 31. dicitur *Iustus Zinzerlingius* in praefatione, quam praefulsit Itinerario Galliae, latine edito Argentorati Ao. MDCXVII. Cum *Taciti* uero, ac *Caesaris* mentione, quam de Germanis faciunt, conspirat character ipsorum, quem expressit nouissime *de Real* in sua *Staatshistorie* T. II.

(\*) in pr. §§. 9. 16. sq. it. §. 62. sqq. cf. *Liu.* L. XLV, 23. Explicuit hanc iconographiam *Liuianam* *Wilkius* in diss. de peregrinatione *Pauli Macedonici* per Graeciam in h. l. exposita.

(\*\*) sub titulo: *das Naturell der Völker.*

(\*\*\*) l. c. sub uoce: *die Sitten.*

(†) Quam uario hi feruntur animi impetu, *Horatius* L. I. od. I. et VII. cecinit.

rum cuiusque generis uirtutem, puto, conuenire imaginibus utriusque generis. Cernitur enim in illis diuersitas quaedam pulcritudinis pro diuersitate scribendi characteris. Quippe suaves reddit; historicas imagines; *simplicitas* naturalis, qualis est in CAESARE ac NEPOTE. Oratorias exornat *uenustas*, oratoribus propria, cuius exempla praebent CICERO maxime et DEMOSTHENES. Poeticas tandem distinguit *nitor* ille omnium clarissimus, auctoribus potissimum ANACREONTE ac VIRGILIO. Horum pulcritudinis iustae generum loco *fucum* male introduxerunt nostri homines, praesertim oratores ac poetae, genium saeculi secuti. Definitiones huius quadruplicis pulcritudinis recte posuit SCALIGER l. c. Pulcritudinem naturalem finit conuenientiam partium inter sese et cum re, describenda bono stilo. Venustas contra, nitor ac fucus dicuntur itidem pulcritudo, hoc quidem discrimine, ut sit uenustas pulcritudo arte ornata, ac nitor pulcritudo manifestior h. e. sensibilior. Sensibus enim inseruiunt poetae plus, quam intelligentiae, quam historici atque oratores iuuant. His tribus pulcritudinis formis fucus, tanquam pulcritudo adfectata, aduersatur.

## §. X.

Imitatio  
naturae,  
regula  
pulcritu-  
dinis  
generalis.

Quem fucum quicumque scriptor uitare, pulcritudinemque attingere uelit, quam accuratissime seruato rerum, aut morum, quos pingit, naturam, ut quasi solidam et expressam imaginem lectoribus ponat ante oculos. Constituit hanc legem HORATIUS u. 3 17. sq.

Respicere exemplar uitae morumque iubebo

Doctum imitatore, et ueras hinc ducere uoces.

Quod praeceptum *tria* postulat ab omni non morum modo, uerum etiam rerum factorumque scriptore, quae ipsum decent, si rectas sistere uult effigies. Principio *doctus esto imitator*, h. e. talis, qui reddit uerissimum naturaeque rerum conuenientissimum exemplum. In hoc enim cuiusque morum ac rerum pictoris pariter ac poetae, quem HORATIUS h. l. proprie doctum dicit imitatore, consistit officium, ut ueram rerum speciem sequatur. (\*) Hinc secundo loco iubet FLACCUS *respicere exemplar uitae morumque* adde, et rerum in descriptionibus, ut morum uitaeque in characteribus, de qui-

(\*) *Battesius* hoc confirmauit integro libro huius tituli: *Einschränkung der schönen Künste auf einen einzigen Grundsatz*, quem *Triumviri, Gortschedius, Schlegelius, ac Ramlerus*, suis ediderunt cogitatis.

quibus solis praecipit Poeta. Exemplar uero uitae morumque idem est, quod exempla dicimus uirtutum uitiorumque. (\*) Haec respicit doctus imitator, cum accurate considerat omnes notas, quae res, aut mores attingunt, easque laeta ui imaginandi sibi repraesentat, et aut ad unum omnes componit, aut eas, quae in rem suam conducunt, adhibet, siue copulando, siue disiungendo, siue paria, siue aduersantia conferendo. (\*\*) Atque ita seruat dialectices regulas, HORATIQUE tertiam legem, quae poscit, pictoris ritu, *ueras inde ducere uoces*, h. e. uiuas species ac formas uerbis aptissimis exprimere, in quorum conuenientia cum re pulcritudo naturalis sita est. (cf. §. IX.)

## §. XI.

Haec ab *historico* postulat, ut res gestas quam simplicissime narret secundum omnes partes causasque legitimas. Quo enim simplicior est rei imago, eo est maior ac pulchrior, ueluti uirgo recta, h. e. in qua ex VIRG. Aen. V.

Differen-  
tia  
iconum  
secundum  
pulcri  
genera.

Gratior est pulcro ueniens in corpore uirtus, HORATIO (\*\*\*) iure dicitur pulcherrima. At *oratoris* est, seu eloquentis, res quasuis eloqui uenustius, h. e. perspicue, copiose, ornate, applicatis potioribus rerum, morumque uirtutibus, iis puta, quae in rem suam spectant. *Poetis* contra, qui sensibus fauent, licet, palmariis momentis affingere secundaria, modo reddant gratos speciososque colores. Hoc quaerit temperamentum illud, quod Poeta adiecit praecepto suo u. 319. sq.

B 2

Inter-

(\*) Ita ipse explicat Noster L. I. Serm. Sat. IV. v. 106. sq.

Insuevit pater optimus hoc me,

Vt fugerem, exemplis uitiorum quaeque notando.

Hanc notissimam synonymiam, facillimamque interpretandi regulam migrare mihi uidentur, qui remotius explicant exemplar uitae morumque, aut per philosophiam moralem, duce Gesnero, aut, auctore Ramlero, in interpretatione Artis Horatianae uernacula, intexta Poeticae suis regulis, per characteres perfectos, quorum ad exempla doctus imitator reddit similes imagines.

(\*\*) Horum generum exempla cape ex Lindnero l. c. §. 133. sq.

(\*\*\*) L. I. Serm. Sat. II. v. 123. sq. Aliis illustrat similibus atque exemplis Werenfelsius, in libello probatissimo de Meteoris orationis, annexo ipsius libro itidem probato de Logomachiis eruditorum, §. XIII. p. 303. sq. Idem §. X. sqq. uitia et meteora eorum notat, qui hanc fugiunt auream simplicitatem. Distinctius, licet breuius, de hoc egit Baumgartenio, cuius Aesthetica destituta est hac ipsa boni scriptoris dote, nec philosophum, quem refert, dedecente.

Interdum speciosa locis, morataque recte  
 Fabula, nullius ueneris, sine pondere et arte,  
 Valdius oblectat populum, meliusque moratur,  
 Quam uersus inopes rerum, nugaeque canorae.

Dicit enim *speciosam locis fabulam* non illam, quae repugnantia copulat, monstri illius instar, quod reiicit poeta noster in initio Artis suae, sed carmen, res aut mores uerosimillimo modo fingens. Aduersatur enim h. l. *speciosa locis fabula ueris uocibus* u. 318 pariter, atque in QUINCTILIANO et LIVIO. (\*) Quae fabula ubi *recte morata* est, h. e. mores recte refert, quod fit, si poeta ex u. 316.

Reddere personae scit conuenientia quaeque, (\*\*)  
 uel *sine uenere, pondere et arte*, s. sine praecipua carminis elegantia atque artificio, sententiarumque et uerborum grauitate, *populum moratur*, ac fabularum spectatores retinet diutius, quam dissonae moribus, rerumque naturis fabulae, quae Poetae *nugae canorae* dicuntur. Idem non poetis modo euenit, uerum etiam oratoribus et historicis, ueras exprimentibus imagines, indeque cuilibet acceptas. Hic peccauerunt Triumuii illi celebratissimi, MILTONVS, KLOPSTOKIUS ac BODMERVS, qui magnopere uel sacris historiis fictiones adperserunt poeticas. Feliciore et sinceriore ingenio creauit icones HERVAEVS in supra laudatis meditationibus.

### §. XII.

Exempla  
 huius  
 discrimi-  
 nis.

Legitima huius licentiae habes exempla uberrime in poetis linguae Romanae Graecaeque principibus. Quae si confers oratorum et historicorum locis, deprehendes discrimen illud triplex, quod haec tria genera, res moresque pulcre describendi, intercedit. Aliter u. c. *laudes literarum* praedicat CICERO oratione pro Archia, aliter canit eas HORATIUS L. III. Od. IV. Ille, a cap. 6. ad finem fere, ita uersatur in hac materia, ut et utilitatem et delectationem tam artium humanitatis omnium, quam potissimum eloquentiae et poeseos exponat, atque suo exemplo alio-

(\*) *Quinctilianus* uocat speciosius stili genus L. VII. Orat. Inst. c. I. illud, quod paullo dixerat ante colorem. *Livius* uero L. I. cap. 23. opponit ueris dictu speciosa. Ex quo deficiunt iterum *Ramleri* ac *Gesneri* interpretationes, quas suis uideas locis.

(\*\*) Quatenam ea sint, laudat Poeta v. 312-315. et u. 153-178.

aliorumque uirorum clarissimorum in Musas amore illustret, earumque commoda uenustissime celebret. Eodem agit modo HORATIUS, qui, simili utens ratione, bonas artes commendat, earumque emolumenta ac dulcedines refert. At uero, quod orator maximo pondere et arte, ueneribusque iucundissimis expresse- rat, poeta implicit quam amoenissimis fictionibus, tanquam pulcri inuolucris. Fingit enim se tutum et beatum per Musas a cunis ad aetatem extremam. Fingit Caesarem recreatum antro Pierio post labores bellicos. Canit denique uim Apollinis in Gigantes fortissimam. Item habebis huius artis exemplum, si contendes SIRACIDIS descriptionem necessitatis, aequa lege omnibus imminentis mortalibus, cum uariis HORATII odis, eandem canentibus. (\*)

## §. XIII.

Vide, quantopere placeant eiusmodi exemplaria, natio quodam decore explendescant. Contra maxime displicent omnibus simplicitatis amatoribus icones fucis plurimo laborantes. Ex quo nimium uidetur poetis indulgisse immortalis GESNERVS, qui in primis artis Oratoriae lineis statim ab initio ipsis aliquantum fuci concedit. Moneo illud neququam, ut manes illius, semper mihi uenerandos, lacerem, sed ut ne iuuenes decipiantur, quibus inseruit ille libellus, exercitationibus oratoriis profecto quam commodissimus. Existit uero fucus, ut in omnibus scribendi locis, ita in notationibus rerum morumque quibusuis, auctore HORATIO u. 25. A. P. quoties *decipimur specie recli*. Est enim rectum, illud omne, quod normae atque artis regulis respondet. Duabus itaque conficitur artibus: Si omne abest prauum, ac peruersum, h. e. quod naturae et rationi aduersatur, (cf. §. X.) Si contra legitime adsunt uirtutes quaeque, ex quibus perfectio operis euenit. His destitutarum recli argumentis imaginum scriptoribus accidit illud, quod stultorum est, quorum fatum canit idem L. I. Sat. II. u. 24.

Fucus  
ab  
iconibus  
est exclu-  
dendus.

Dum uitant stulti uitia, in contraria currunt.  
Namque, ut L. I. ep. I. u. 41. sq. adfirmat,  
Virtus est, uitium fugere, et sapientia prima,  
Stultitia caruisse.

B 3

pari-

(\*) L. I. od. 28. L. II. odis 3, 14. et 18. L. III. od. I. *Sirac*, XL. v. 1-10.

pariter atque ex u. 309. Artis:

Scribendi recte, sapere, est et principium, et fons.  
Iam, quomodo specie recti decipiuntur, qui praeter suam cogitationem a fucis prope absunt, subiicit ipse huic suo enuntiato u. 26. sq.

Breuis esse laboro,

Obscurus fio: sectantem lenia nerui

Deficiunt animique: professus grandia, turget:

Serpit humi tutus nimium; timidusque procellae:

Qui uariare cupit rem prodigialiter, unam,

Delphinum siluis appingit, fluctibus aprum.

In uitium ducit culpae fuga, si caret arte.

Haec omnia uitia BOVHVSIVS in libro Gallico, quo examinat scriptorum gentis suae et Hispanorum acumina, (\*) exemplis distinxit clarissimis. Ego uero singulari libello haec fucis oratorii uitia bono cum DEO in posterum notabo.

#### §. XIV.

Imagina-  
tionis  
languor,  
rectusque  
usus.

Inter haec uitia in primis uitandus est languor ille, quo laborant scriptores, *sectando lenia*, (\*\*), quando in imaginibus exprimendis imaginationi magnopere indulgent. Maximum ea profecto, ut recte obseruauit WERENFELSIUS, (\*\*\*) adfert adiuumentum uiuidae rerum repraesentationi, et capacitate sua et uigore. Est enim *capax imago*, quae uno intuitu, sine confusione, multa percurrit momenta, atque incredibili celeritate in omnes partes uersat imagines, eaque animaduertit, quae in iis maxime sunt admiranda, omnia etiam intelligit, cum quibus aut comparatae, aut quibus oppositae, maiores uideri possint imagines. Ex tot partibus icones componit, et tot in iis exprimit circumstantias, ut concipi nequeat, qua ratione haec omnia in mentem cogitabundo uenire potuerint. *Vigor imaginationis* accedit, quo omnia ac singula tam uiuide menti nostrae repraesentantur,

(\*) Transtulit hunc librum uernacule *Schelhaferus* Altenburgi 1759. hoc titulo: *Die Art, in wizzigen Schrifften wohl zu denken.*

(\*\*) Sic enim lego *Bentleii* motus argumentis, quamuis contra sit *Gesnerus*.

(\*\*\*) in laudato libro de *Meteoris Orationis* §. IV. p. 275. sq. Idem tractat *Bergerus* N. P. 104. sq. et 203. sq. Exemplis uero sacris commendat plurimis *Lowde* commentario de poesi Ebraica, splendide exhibitio a *Michaelae Gottia-*  
genfi, V, Cl.



tur, ut non procul absit imaginatio a sensu, mensque non tam remota imaginari, quam praesentia cernere sibi uideatur, quo fit, ut, quos ad spectus harum rerum excitaret adfectus, hos nuda in nobis excitet imaginatio. Quodsi alterutrum deficit, existit uel ieiuna ac sterilis imago, uel languida atque elumbis. Exemplo est OVIDIVS. Capacitas imaginationis in illo nunquam desiderari potest, nihil enim est eo abundantius, uis interdum requiritur. Apparet hoc ex contentione Didonis Quidianae (\*) cum VIRGILII Didone, desperationis pleniore. Saepius languent VALERIVS FLACCVS, SILIVS ITALICVS, eorumque aequales. Inter nostros uero homines plerumque altera pars ruunt huc, altera illuc. Notat hoc in Anglis SCHWIFTIVS in libro, qui inscribitur Antilonginus, h. e. die Kunst zu friechen in der Poesie, et nuper uernacule editus est a SCHWABIO, V. Cl. In hoc etiam cadunt uitium scriptores, qui in notationibus suis et ingenio suo fauent, dum acumina coaceruant, et amoris sui studioque placendi adulantur. „Omnes enim, inquit PLINIUS Secundus, (\*\*) qui placendi causa scribunt, qualia placere uiderint, scribent. Notat igitur utrumque in oratore sacro GISBERTVS l. c. cap. IX.

## §. XV.

Supereft denique, pauca monere de concinnitate stili, in exprimendis iconibus obseruanda. Verba enim, teste WERENFELSIO, (\*\*\*) *imaginem aequare debent, ut imago rem.* Maxime ergo uitandus est *κοιμισμός*, seu stribligo, omnia confundens. (†) Consistit enim in impari et inconueniente mistura generum scribendi. Quippe alio utuntur stilo in ponendis iconibus historici, alio oratores, poetae alio. Scilicet *illi* adhibent teste CIC. Off. I. I. stilum aequabilem, ac temperatum, h. e. ut ipse explicat, quietum, minusque uehementem. Cuius simplicitatem *orator* temperat lecythis quibusdam ac luminibus orationis, numeroque sonantiore aurium sensum superbiorem recreat. His orna-

Concinnitas stili pulcri generibus adaptanda.

men-

(\*) Epist. Her. VII. Idem fert iudicium Werenfels. l. c.

(\*\*) L. III ep. 18. (\*\*\*) l. c. §. VI. p. 278.

(†) Stribligo dicitur *Asinio Capironi*, apud *Gellium* L. V. N. A. §. 20. proprie impar et inconueniens compositura partium orationis. Est igitur pars Soloeecismi. Qua uoce haud male, puto, me conuertere posse Graecorum *κοιμισμός*, cuius utrumque genus consistit in permissione simili, cf. *Ernesti Initia Rhet.* §. 293. sq.

mentis student maxime CICERO, ipsiusque imitator, PLINIUS, in epistolis suis. (\*) Denique *poetae* nitidissima sermonis specie carmina colorant, quam BODMERVS, V. Cl. in singulari libro (\*\*) definit eam, quae sensus maxime afficit, nitorique congruit, quem *poetae* in suis imaginibus assequi laborant. Discrimen horum idiomatum uiri summi (\*\*\*) subinde exposuerunt; clarissime uero tibi apparebit, si poetica exempla a numeris, qui poetam tam sublimi collocant fastigio, ad orationis solutae leges reuocabis. Contaminant male hos dicendi characteres, qui commiscunt sermonem poeticum cum prosaico. Quem peruersi gustus fetum adulterinum saeculo relinquamus. Quo enim euentu MOSERVS eiusmodi stilum historiae DANIELIS applicauerit, (†) penes quos est iudicium in rebus diuinius, uideant.

## §. XVI.

Ufus  
Aestheti-  
cae  
in scholis.

Pertinet haec iconographia aesthetica, quam haecenus delineauit, ad scientiam, qua sensus ueri ac gustus pulcri excitantur. Qua destitutus Musarum amicus difficulter exemplaria Graeca ac Latina capiet. Haud male igitur, ut nonnullis gnaris didactices auctoribus uisum est, (††) explicantur scriptores ita in scholis, ut iuuenes attingant ipsorum suauitates ac lenocinia. Inii hanc ratio-

(\*) fatentur id ipsi Cic. L. I. Att. ep. XI. Plin. L. I. ep. II.

(\*\*) Laudo eius *critische Betrachtungen über die poetischen Gemälde der Dichter.*

(\*\*\*) *Bergertus* dissertt. *Academicarum* ea, qua *Schurtzschii* laudes et ingenium panegyrico haud mediocri praedicat, disputat et huius et sua mente de hac differentia probe p. 236. sqq. Idem faciunt *Morhofius* in *Polyhistore* p. 622. atque data opera *Schoepperlinus* in oratione de poeticae dictionis ab oratoris discrimine, quae extat in *Opusculis* societatis latinae Ienensis, ab *Hallbauero* collectis. Quam uero accurate respondere debeant haec generatim orationis pulcri generibus, *Lamius* exposuit in *l'art de parler* L. IV. cap. 13. sqq. ubi et ornamenta, quae his decent, eorumque uitia edisseruit.

(†) in recentissimo scripto: *Daniel in der Löwen-Grube*, hoc anno edito.

(††) cf. Ge. Conr. *Winkelmanni* *Schediasma* de nuper inuenta Aesthetica, uernacule expositum in *Bidermanni*, V. Cl. *Alten und Neuen von Schulsachen* P. VI. N. X. p. 149. sq. Ex communibus rationis docendi interpretibus praeter alios commendant hanc interpretandi artem *Gesnerus* in *Institutionibus* Rei Scholasticae, *Rollinus* in praecipis institutisque literarum, ubi hoc artificium passim egregie explicuit. Idem probant auctores *Scholasticorum Agendorum* Berolinensium dexterrimi. Ex quibus omnibus *Io. Cph. Dommerichius* in primis lineis Didactices scholasticae recens editis §. CCXVI. sq. p. 222. sq. eadem nouissime repetiit et inculcauit.

tionem Collegis scholae Realis, quae Berolini floret, ultra annum adscriptus.. In quo, annuente DEO, beneuoloque Senatu, pergam tramite Rector Annaei, ad urbem principalem, creatus. Desiderat enim hoc Lyceum Rectorem suum, per quatuordecim annos usque adhuc de ipso optime meritum, M. GOTTHELF CONRAD GOLDSCHADIVM, pro consilio LVTHERI saluberrimo, transeuntem ex puluere scholastico, per lustra quatuor tolerato, ad labores praeconis oraculorum diuinorum in pago Leibnitiensium, Dresdae contiguo, subeundos. In cuius locum beneficio Patrum urbis primariae conscriptorum surrogatus, celebri diuinam prospicientiam, quae spe citius aditum mihi patefacit ad docendam iuuentutem scholasticam, eamque patriam. Quam ut hoc dexterius erudire possem, Berolini personam praeceptoris in modo laudata schola ad aliquod tempus sustinui. Inde reuocauit me IEHOVA benignissimus, pace Saxonibus reddita, ut maturius sequerer animi appetitionem, qua semper probatum habui, quod PLINIVS olim iam adfirmavit: (\*) *Viro scholastico, quales celebrat Isaeum atque Euphratem, nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius.* Huic summo nutui obtemperans D. VIII. Iduum Decembrium, hora altera a meridie audita, prouinciam Rectoris, munifice concessam, oratione adibo solemni. Quali uero? Laetane? Optarem.

Nam dicenda bono sunt bona uerba die.

Heu uero funesta ephebei mei, ignibus fatalibus exusti, calamitas, Musarumque, in angustias ptochotrophei coarctatarum, tristissima facies, lugubria me iubet canere. Ex quo meum facio dictum, quod celeberrimi multi doctores, eadem laborantes fortis iniquitate, (\*\*) usurparunt. Compellabo enim Annaeum, teterrimo nondum excitatum ex squalore suo, hac sententia: *Malo scholam desolatam, quam dissolutam.* Huic meo officio omnes benigni rerum scholasticarum Maecenates, Epoptae  
C  
atque

(\*) L. I. ep. 10. & L. II. ep. 3.

(\*\*) Inter alios sibi reddiderunt quam familiarissimum hoc enunciatum Godofredus Hoffmannus, Rector Zittanorum celebratissimus, ac Valentinus Friedlandus Trocedorfus, restaurator scholae Aurimontanae dexterrimus, ut docent ipsorum curricula uitae, seorsum extantia. Adhibet etiam Ioachimus Langius in praefatione Grammatices suae Latinae §. VIII.

## XVIII ICÖNOGRAPHIA AESTHETICA.

atque amici, oro atque obtestor, in laudato ptocheo interesse uelint, ac mecum in communionem uotorum pro incolumitate Annaei, munificentia Curatorum summorum, utinam! breui reuirescentis, uenire haud grauentur. At tu, DEVS praepotentissime, adsis e machina, et erigas flebile phrontisterii bustum, pristinoque reddas splendori. Sic almo TVO recreati numine alumni, meae fidei commissi, otia agent laetissima, laboresque tenui mihi prosperrime procedent. Tibi uero, *magnifice Senatus*, gratias ago habeoque quam decentissimas pro spe, quam in me posuisti, moderatione Annaei Tui mihi concessa. Tueare, obsecro, eam mihi semper, indulgentiaque Tua benignissima imbecillitatis meae rudimenta foueas et tolere. Iam DEVS audiat uota, quae, *Patres*, pro Vestra prosperitate, mihi semper frugifera et exoptatissima, ita colligo:

Incolumes Numen Vos semper protegat alium,

Vos decori sedi sospitet imperii.

Seruet praesidio Vos certo ciuibus, olim

Mite ferebatis, fertis et usque nouum.

Sordibus ex tetris curis excita resurgit

Vestris, splendori est reddita Dresda suo.

Flore nouo florent modo terque quaterque beata,

Vobis patronis, curia, templa, scholae.

Floret et Annaeum laetum, gaudetque recenter,

Namque probe misero denuo consulitis.

Me, res spesque meas, Vestro commendo fauori:

Quem uocat Omnipotens, obsequiosus adest.

Dabam Misnae, in aedibus paternis, pridie Calend. Decembr.  
A. R. S. MDCCLXIII.



Stoth 564